

Johann Barnstorff

**Programma Qvo Universitatis. Rostoch. Rector D. Bernhardus Barnstorff
Poliater. Et Medic: Prof: Publ: Academiae. Civibus Sub. Qvadragesimæ. Tempus.
Tranqvillum. Pietatis. Studium Atqve E. Jesu. Christi. Sangvine Medicinam
Transfusoriam Præscribit**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingii, [1703?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn89353353X>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—
1703. Fasten

~~M-1256. 85.~~

Q. 1703

PROGRAMMA
 QVO
 UNIVERSITATIS. ROSTOCH: **RECTOR**
D. BERNHARDUS
BARNSTORFF
 POLIATER. ET. MEDIC: PROF: PUBL:
 ACADEMIÆ. CIVIBUS
 SUB. QUADRAGESIMÆ. TEMPUS. TRAN-
 QVILLUM. PIETATIS. STUDIUM
 ATQVE
E. JESU. CHRISTI. SANGVINE
MEDICINAM
TRANSFUSORIAM
PRÆSCRIBIT



ROSTOGHII,
 Typis JOH. WEPPELINGII, Bibliop. Typogr.



M. 1256 85

1265 84



Oleo, Cives vere ineunte impuri sanguinis svadere remedia: Vobis autem medicinam nunc suppeditabo, eamque ex sanguine faciendam. Qvoda- gens tempori non minus infervio, quam in sanandis Corporibus. Namq; si verna tempestate perpurgando sanguini. consultitur; qvia tum herbae recentes è terra prorumpunt & medici manum qvati denuo contra

morbos armant: tum praesens consilium ex iplo tempore capio; qvo cruentæ mortis, qva salutem nostram Servator humani generis praeparavit, memoria recoli incipit. Qvod nam ergo vobis aut tutius aut magis profuturum svadeam remedium, quam Christi sanguinem in animas vestras fideliter transfundere? Rerum medicarum consulti maximo quidem opere circa illud artificii genus desudarunt, an de corpore in corpus possit vivus transfundi sanguis, eoqve facto juvenis senili, integritas corrupto atqve vita moribundo restitui? Idem vero illis, qvòd plerisque hominum consiliis accidit: Ut saepe fallatur opinio concepta, & ipsa fallat adhuc frequentius. An vero Christi sanguis in fidelem possit derivari animam? nihil prorsus, habet in consilio ambigui, nil in autoritate dubii, nihil in exercitio impedimenti, nihil deniqve in effectu habet inconstantiae. Ista[m] medicinam augustissimo Sacrosanctæ Trinitatis consilio debemus, siquidem in Christo, eodemqve per sanguinem proprium peccata nostra expiaturò ante mundi jacta fundamenta dilecti sumus. Nihil ista medicina potius est, nihil antiquius, qvæ ante destinata fuit, quam ullus nostrum mortalis esse, aut male agere inciperet. Alter centur quantavis animorum contentione inter se vel Britanni vel Galli, de excogitata transfusionis ejusqve processus gloria: nostra sane transfusio originis vere divina est, & æqualiter in universas porrigitur gentes. Inter Anglos primus esse creditur *Richardus Lowerus* atqve post eundem *Edmundus Kingk.* qui abhinc duo de quadraginta annis animalium sanguinem ita

Eph. 1. 4.

ita permutarit: è Gallis autem primum in hominis corpore
periculum fecisse putatur *Mr. Denis*. Ea vero inventorum
fides suspecta haberi cœpit, postquam ex *Libanii* disputatione
contra quendam Paracelsū pullum fatentibus Gallis adeo be-
ne transfusionem describente, uti nihil possit clarius; alim il-
lud innotuit, quod rei modus plus quinquaginta annis ante
circumfetri cœperit. Ipte incidi non ita pridem in locum
quendam *Campanella*, qui plus fuit quam Philosophus, nihil
minus quam Theologus, quem de eodem transfusionis nego-
tio accipiendum suspicor. Sic enim postquam de mutandis
affectibus dicere aggressus est, deinceps scribit: *Unde magis
doctrinam elicere queat inducendi quamlibet affectionem atque
sanandi. Sicut humi seminantur & evelluntur semina. Con-
trarium expellit contrarium, magis autem si applicetur interi-
us quam exterius, simile educit simile, magis quidem appli-
catum de foris quam intrinsecus. Simul commixta duplicem, de sensu rez
pariant effectum, vel dupliciter aut utroque modo operari & Magia
possunt. Qui potest capere capiat. Imo non desunt qui ulterius
conjiciendo progrediantur & Marsilio Ficino seculi XV. scri-
ptore, qui Platonem erudito orbi adseruit, peritiam transfu-
sionis sanguinis medicinæ adscribunt, eo quod alicubi seni-
bus decrepitis spondeat sugere hirudinum more ex adolescente, cuenda C.
leto temperato atque sanguine abundante ejusque sinistri bra-
schii vena vix aperta uuciam unam aut duas, quo juvenescat.*
Hinc sponte consequitur veteres artem istam non omnino
ignorasse, quamquam serius exerceri cœperit. Cui rati-
oni imago inest Christianæ transfusionis, quæ non heri demum
aut nudius tertius cognita esse cœpit; sed veteris instrumenti
fidelibus perspecta fuit atque in salutem conversa, quan-
quam ipsa domini mors & redemptionis exercitium ipsorum
fidem insequeretur. Est autem chirurgica illa transfusio
sanguinis genus medicinæ, quo tubulorum aut canalium
artis lege adornatorum ope ex uno animali in aliud per in-
cisos venarum principum ductus creditur ita derivari posse
vividus sanguis, ut post acceptum alienum sanguinem animal
ante hanc ægrum plene convalescat. Res ea uti pleraq; solent
primum excogitata in principio variis fuit impedita molestiis

donec facilius quidem & satis expedita methodus reperta fuit: quæ tamen, quia hominum vita in discrimine est, aut nullis, aut paucissimis exemplis confirmata est: atque in animalibus brutis aliquando feliciter cessit, vix quoquam è medicis circa hominem rem frequentius experiri aulo. Licebit mihi hæc omnia ex mea arte in sacrum transferre mysterium: eadem forte non magis indigna, quam si sanctissima fides sub agriculturæ aut mercatus, aut piscationis figura repræsentatur. Quemadmodum ergo hoc medicinæ genus ex sanguine est, qui ex alieno in ægrum Corpus ita transit, ut illi existat proprius atque vitales in illo motus exercent: Sic medicina animæ est è sanguine Christi: qui in justificationis negotio ita occupat fidelem animam, ut ipsi velut insitus aut congenitus esse videatur. Sed in humana illa transfusione ea omnium nobilissima ratio esse videtur, quæ de homine in hominem vitalis liquor transfunditur; cum ex bestiis facta derivatio suspecta non immerito reputetur, & varia post se trahat incommoda: Ast animæ multo adhuc minus medebitur vel oceanus alieno cruentatus sanguine. Potuit sane olim sanguis taurorum hircorumque emundare corporis inquinamenta. Sed Christi sanguis illa est medicina, quæ conscientiam operibus mortuis subactam vitæ restituit. Inter ipsos medendi artifices male solet audire transfusionis inventum, quia contra naturam fit, & æque alienum à genuina corporum nutritione, quam si quis in domum, quam ordinaria via ingredi deberet, sese per fenestram injiceret: Quamquam opponant qui ex altera parte versantur; in rebus Medicis atque Pbysicis solam experientiam peremptorie decernere, eaque teste frustra esse quævis ratiocinia. Idem vero de Christiana transfusione multo magis valet: quæ supra omnem naturæ captum est, atque rationis judicio exposita ineptiis accensetur, ipsa de cœteris invictis divina veritatis fundamento superimposita atque tot cœlitum salutari experimento comprobata. Solet fieri transfusio in corporibus adminiculo rubulorum aut canalium è quacunque habili materia confectorum, qui ab utraque extrema parte hinc in emittentis inde in recipientis venam intruduntur, tum tractus intermedius te-

pidæ.

Ebr. IX. 13.

conf. Jour.

nal. de Sca-

vans. T. IV.

p. 22.

vid. AB.

Angl. A. 67.

p. 455.

pida aqua vaporibus aut quovis calore alio refocillatur. Nul-
 lo sane pretio satis aestimari potest Fides, Sacrosanctum il-
 lud instrumentum, per quod Christi sanguis in animum cre-
 dentis defluit: ea namque, qua parte divinus sanguis estun-
 ditur, infallibilem verbi divini veritatem habet; atque in
 illo extremo, quod animam fidelem attingit, indubiam ha-
 bet fiduciam; ex reliquo autem ardentissimo ac reciproco
 Jesu ac animae amore inflammatur quasi atque incalescit.
 Licet observari, quod cum primi inventores periclitati sint
 suam transfundendi *ἐν Χερσίου*, multa opus fuisse venarum
 ligatura nodulisque, quæ dissecta arteria utrinque con-
 stringeretur. Cui tamen *Emmeresius* quidam *Parisiensis* Chi-
 rurgus substituit artem *tanta cum facilitate exercendi transfu-*
sonem sola punctione ac sine ulla ligatura, non secus atque in
Phlebotomia fieri assolet, Quo facto cessabunt multa: quibus
 in priori illa ratione æger, non potest fieri, quin misere ex-
 crucietur. Mihi nullus durior nodus, nulla doloris species
 accedere majores tot rituum stricturis, tot vinculis caremonia-
 rum, tot cultus externi molestiis impliciti fuerint: pro quib-
 us nostra ætate per suavissimum Evangelii onus ab his tali-
 bus aurea libertas successit. Ordinarie solet infundi sanguis
 venarum carothidum alicui, aut brachii, aut, ex sententia *cele-*
herr. Noricorum Medici Hoffmanni, venis, quæ supra transversam
 manum prominent. Divinæ autem, quæ iustum facit pec-
 catores per Christi meritum operationi, omnium maxime
 præcipua pars, nempe anima inservit; Huic primum salu-
 taris medicina instillatur, virtutem tam late pandens, ut non
 modo animam sibi ipsi restituat, sed corpus quoque ipsum
 vitæ æternæ seminibus iniciet, Neque enim quod *Deniso-*
civis ipsius Euyphron objicit de medicina transfusoria, fo-
 re ut animali seu homine emittente aut recipiente morte
 prærepto, reliqua pars propter commercium sanguinis at-
 que Spiritus vitalis ipsum putrescere occipiat, hic locum ha-
 bet: quippe Christus mortem prorsus ignorat homo autem
 illius sanguine sanatus etiam si mortem oppetat, valet ta-
 men illud: *quisquis meum hauserit sanguinem; is vitam æter-*
nam

vid. AB.

Angl. A. 67.

p. 364.

vid. Sturm.

Phil. 80.

clell. T. 11.

Disp. 10 p. 495.

nam consequetur, atque ipse eundem novissime faciam resurget.
 Job VI. 45. *no.* Quid si humana arte id inveniri poterit ut ex animante
 valido atque integro in aliud ægrum atque tabidum sanguis
 transfusus sit; atque scabiosus ille & impurus latex sincero ani-
 mali restitutus fuerit eo effectu, ut convaluerit ægrum, alte-
 rum veronil detrimenti ceperit aut contagii? Quid inquam,
 futurum esse putatis de nostra medicina transfusoria? annon
 multo perfectius Christi sanguine omnia nostra eluentur pec-
 cata, annon nos ex ipsius vulneribus sanabimur, re-
 cepto generosæ ac divinæ indolis sanguine? neque ta-
 men ipse ideo fiet deterior quamvis omnem nostram cul-
 pam ipse recipiat? Usus docuit artifices, partim debilitari in
 naturalis transfusione sanguinis corpus recipiens item ac
 emittens, atque hoc etiam interdum plane deficere; partim
 etiam antea è morbido corpore educi debere vitiosum li-
 quorem, quo spatium illabendi detur novo ac meliori, un-
 de & quidam in illam abeunt sententiam *magis evacuatione,*
quam restitutione sanguinis prodesse transfusionem; dehinc eti-
 am non posse novum immitti vel permisceri cum altero sangui-
 nem sine vehementiori quadam fermentatione. Quæ omnia
 modo si unum excipias, de majori usu transfusionis per exone-
 rationem pristini, quam novi accessionem (quippe quod vix
 sine Pontificiæ Superstitionis nota huc transferretur) ad præ-
 sens negotium omnino pertinent. Namque; vetus homo ejusque;
 vires frangi debent ac prosterni in homine; Christo autem
 hoc medicinæ genus ipsa morte constitit. Porro quando san-
 guinis dominici virtutem nobis adserimus; primo evacua-
 ri debet animus peccati vinculis & superbo carnis dominio.
 Denique nullus tantopere effervescit aut repugnat alteri con-
 trarius sanguis; quin lucta carnis atque Spiritus intra ani-
 mum sit fervidior atque incitator. Nolo nunc plura in eam
 rem addere, neque enim volenti quicquam porro dicere alia,
 argumenta suppeterent; quam quæ infinitis modis nostram
 hauc animæ medicinam præstare alteri evincerent. Cum
 enim de illa tenuiter vel ipsi auctores sentiant, alii penitus de-
 sperent; atque etiam mihi recte observasse videatur *Cl. Sturm-*
mus circa opinionem Cl. cujusdam Medici de odio inter
 amicos

conf. A. 7.
Angl. A. 67.
p. 303.

Phil. Eccl.
T. I. disp. 10.
p. 523.

amicos fratres aut conjuges enato per hanc transfusionem
superando non, si corpus q̄veat, eandem posse sanare pravas
mentis opiniones aut voluntatis vitia. Hic non potest res effe-
ctu carere, modo ipsa mens temere non resistat aut acceptum
profundat beneficium. Nihil certius est atq̄ve divinius ea
veritate, ipsam mentem nostram in melius cum converti. *Rom. V. 5.*
Quid enim est quod Scribit Apostolus: esse amorem Dei in
corda fidelium effulum. At vero quid est amor Dei erga nos,
quam quod filium suum nostri causa morti tradiderit? Nul-
lus etenim tenerior est atq̄ve potior amor eo ipso, quod vi-
tam quis pro altero deponat: quod effuso largiter sanguine
ipsâq̄ve adeo cum eodem vita fecit Servator. Avertat â vobis
divina clementia, Cives, ne cuiquam vestrum illud circa ani- *Job. XV. 32.*
mâ curam eveniat quod in chirurgica transfusione accide- *vid. AB.*
re iis consuevit, quibus viscera nimium corrupta sunt: ut, *Angl. A. 17.*
mortem citius medicina accersat quam valetudinem promo- *p. 420. & 457*
veat. Ah! Credite mihi idem posse illis accidere qui ani-
mo nimis impuro ac ad fidem emortuo Sacrum hunc diripi-
unt sanguinem: ut accersant sibi ipsi exitiale iudicium non
discernendo dominicum Sanguinem. Durissime istiusmo- *1 Cor. XI. 9*
di aminis interminatur idem divinus scriptor, qui profanent *Ebr. X. 29.*
sanguinem divini foederis, quo sanctos eosdem præstiterit.
Hujus effugiendæ calamitatis vere acerbæ, quamquam om-
ni tempore vos dedeceat ansam negligere, tamen præ-
senti hoc omnium studiosissime captari debet: quo morien-
tis Jesu memoriam resuscitamus. Credite mihi, non quidem
ex moroso altercandi aut objurgandi studio, cuius sane
(quod ad vestram laudem meamq̄ve scribo gloriam) nulla
mihi hætenus causa fuit, scribenti: quod sitam multiplicem
tamq̄ve sanctam, quæ nunc undiq̄ve nobis affertur, Chri-
stum patientem mortuumq̄ve salutariter cognoscendi facul-
tatem neglexeritis aut præter ire finatis: hanc ipsam aliquan-
do in vestram perniciem inq̄; vestram condemnationem iri
conversum. Quæso vos ergo per vestram salutem, perq̄;
tot animæ tot corpori Servatoris infictos vestra causa dolo-
res, per sancta ejus vulnera ac mortem innocuam, accedite
ad propitiatorium præsentissima fide adpersi corda vestro
Divino

Luc. XXII.

44.


Divino ejus sanguine. Ecce vobis Jesu patientis nunc de-
mo oblatam imaginem: Hanc quæso intuemini, ut in ipso
ærumnarum discrimine exudet Sanguinem; ut idem ille
constagnatus atque in grumas (ἄρμυρα) collectus non
aliter in terram procidat, quasi nemo tam æger, nemo tam
ad convalescendum avidus sit, qui prius calidum recipiat
sanguinem, quam ipse coalescat: ut imbres cruenti ex tot
flagellorum ictibus per universum corpus depluant: ut caput
elicitò colaphis atque spinarum punctibus sanguine madeat:
ut tandem ex aperto latere quicquid erat sanguinis reliquum
prorumpat. Accurrite, ite omnes intendite nervos omnes
pandite animi recessus ut isthoc rore irrigemini, atque hæc
vobis medicina prosit. Haurite pretiosissimum hunc sangui-
nem, atque patiamini, quo is mentem vestram ac studia
itemque actiones vitali Spiritus calore impellat: sic graterunt
opera vestra odor divinis naribus, atque felicius inde emerget
per sanguinem facta ac conciliata DEI in vos benevolen-
tia; quam illi, de quo fabulam mihi attulisse videtur *Theodo-*
rus quidam Moretus, quod rosas suo sanguine diu ante præ-
paratas principi prius à se alieno frequenter dederit, qui
cum odore simul singularem viri amorem attraxerit. Nolite
autem nunc expectare, ut vos commonefaciam, quo tem-
pus, quod quadragesimale vocant, pacate ac uti fecistis ha-
ctenus, honeste atque egregie transigatis: neque enim
aliter de vobis sperare hucusque didici, atque in vulga-
ri etiam illa corporum cura experientiam habeo testem;
eos, qui sanguinem salutarem venis imbiberunt, semper
quietos esse ac tranquillos, quo promptius miros ederet effectus
MEDICINA TRANSFUSORIA.

Grub. de
Transpl.
morb. p. 62.

Τό αἷμα ἡμεῶν χερσὶν ἴσ' οὐκ ἴσ' καθάριζ' ἐν ἡμῶν δότι
πῶτος ἀμαρτίας.

P. P. Dominica Estomihi, Sub Si-
gillo Rectoratus, A, 1703.

amicos fratres aut conjuges enato per hanc transfu-
superando; non si corpus q̄veat, eandem posse sanare
mentis opiniones aut voluntatis vitia. Hic non potest
ctu carere, modo ipsa mens temere non resistat aut ad
profundat beneficium. Nihil certius est atq̄e divi-
veritate, ipsam mentem nostram in melius tum
Quid enim est q̄od Scribit Apostolus: esse amor em-
corda fidelium effulum. At vero q̄uid est amor Dei e-
quam q̄od filium suum nostri causa morti tradider-
lus etenim tenerior est atq̄e potior amor eo ipso,
tam quis pro altero deponat: q̄od effuso largiter
ipsa q̄ve adeo cum eodem vita fecit Servator. Averta
divina clementia, Cives, ne cuiquam vestrum illud
mā curam eveniat q̄od in chirurgica transfusioni-
re iis consuevit, quibus viscera nimium corrupta
mortem citius medicina accersat quam valetudine
veat. Ah! Credite mihi idem posse illis accider-
mo nimis impuro ac ad fidem emortuo Sacrum hui-
unt, sanguinem: ut accersant sibi ipsi exitiale judi-
discernendo dominicum Sanguinem. Durissime
di aminis interminatur idem divinus scriptor, qui
sanguinem divini foederis, quo sanctos eosdem
Hujus effugiendæ calamitatis vere acerbæ, qua
mni tempore vos dedecet ansam negligere, t-
senti hoc omnium studiosissime captari debet: qu-
us Jelu memoriam resuscitamus. Credite mihi, n-
ex moroso altercandi aut objugandi studio, c-
(q̄od ad vestram laudem meamq̄e scribo glori-
mihi hæcenus causa fuit, scribenti: q̄od sitam m-
tamq̄e sanctam, quæ nunc undiq̄e nobis affer-
stum patientem mortuumq̄e salutariter cognosc-
tatem neglexeritis aut præter ire sinatis: hanc ip-
do in vestram perniciem inq; vestram condemn-
conversum. Quæso vos ergo per vestram salu-
tot animæ tot corpori Servatoris infictos vestra-
res, per sancta ejus vulnera ac mortem innocua
ad propitiatorium præsensissima fide adpersi c-



V. 5.
XV. 13.
A. 67.
E. 457
XI. 9
X. 29.